maceriam ingressi sumus hortum, dimissis extra asinis jubente nostro ductore, et ad petram grandem venimus, in qua specus est capella consecrata; ibi ingressi orationes fudimus pro indulgentia (†). In hoc specu dicitur habitavisse sanctus Onuphrius, unus de magnis anachoretis; de hoc in Vitis patrum pulchra habetur historia: hic dum moreretur, in loco illo tugurium, quod ante specum fecerat, ruit et arbores circumstantes petram ceciderunt et exaruerunt. Ab hoc loco ulterius progressi per vallis descensum venimus ad unam singularem petram, quae stabat juxta viam et non cohaerebat monti, sed per se de terra consurgebat in altitudinem duorum virorum, in pede lata, superius acuta et videtur, quod non habeat radices fixas in terrae profundis, sed stat sicut pyramis artificialis, quasi non petra naturalis sit. Haec creditur esse petra Oreb, de qua Moses percussione virgae aquas eduxit, ut habetur Exodi 17. Insuper et secundum aquae eductionem, de qua habetur Num. 20., credunt ex eadem petra profusam fuisse, quae dicitur aqua contradictionis; non enim diutius dabat petra aquas, nisi ad populi et pecorum adaquationem, ut clarius appareret miraculum. Ideo etiam ipsa petra singularis erat nec monti connexa, nec terrae infixa, ut cernerent filii Israel, quod Deus novas aquas crearet in petra et non de abysso redundantes pro eorum potu. Si enim jugiter fluxissent, non magnum miraculum fuisset, sed consuetum, sicut sanctus Clemens et multi alii sancti suis precibus impetraverunt emanationem aquarum de abysso et fontium redundantiam, ubi prius non fuit aqua, non quod nova aqua crearetur, sed venae de abysso ad locum illum dirigerentur et illae ita manebant scaturientes, sicut superius patet de fonte dato monachis pro (**53 a**) signo, fol. 44, a. Fons ergo petrae hujus non ex aquis terrae, sed ex thesauro Dei emanavit; ideo dixit Moyses Num. 20.: Aperi eis, Domine, thesaurum tuum, fontem aquae vivae. In thesauris enim Dei etiam inclusi sunt abyssi, juxta illud: Ponens in thesauris abyssos; sed et venti de thesauris illis prodeunt, unde psalmus.: Educit ventos de thesauris suis. Patet etiam ex verbis Domini, quod aquae illae in petra fuerint creatae, quia dicit cap. super. V.: Loquimur ad petram, et ipsa dabit aquas. Ipsa, inquam, dabit, non terra etc. Ex quibus patet, quod fons ille solus non fuit

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;